

perium toto itinere detrectavit. Potuit hæc bestia non difficile persuaderi, audita Romanæ urbis pulchritudine, summi pontificis majestate et dignitate, suis etiam honoribus et deliciis quibus Romæ excipienda et perfruitura esset: et non possit Christianum excitare hic prægustus beatissimæ illius vitæ nobis paratæ, ut hujus mundi haram et inanes siliquas oblivisci velit, et ad summum cœli terræque monarcham, ejusque regnum omni divitiarum ac deliciarum copia abundans totis viribus contendere? Sed nimirum sunt nonnulli perversi amatores hujus mundi qui cum se terrenis bonis stulte implicuerint, caecoque amore affixerint, ea quæ de beata illa vita dicuntur, vel non credunt vel pro nihilo habent (juxta id Proverb. XXVII. *Anima saturata calcabit favum*) idque etiam aliis nequitur persuadent. Sed videte vos auditores et judicate, annon potius audienda sit Dei ipsius sapientia et veritas Christus Dominus noster, qui in sua illa post resurrectionem vivendi ratione, eam prælusit atque ostendit, quam cum ipso in cœlo habituri sunt beati? Apagite igitur noctuæ et tenebriones, veræ lucis inimici; abite pecora et porci sordibus innutriti et favo hoc indigni: veni tu fidelis: *Comede, fili mi, mel, quia bonum est, et favum dulcissimum gutturi tuo*, Prov. XXIV.

CONCIO II.

TRIA SYMBOLA BONI CHRISTIANI: PAX, SINCERITAS, MANSUETUDO.

I. Pacis amor et studium. — II. Sinceritas. — III. Mansuetudo.

THEMA.

Pax vobis, ego sum; nolite timere. Luc. XXIV.

Quantum attulerit Noemæ familiæ gaudium columba illa, quæ diluvii tempore emissa ex arca rediit, et ramum olivæ, mordicus comprehensum, in signum imminutæ aquæ secum tulit, cogitare non difficile potestis auditores. Nihilominus gaudii, quinimo longe plus attulit Christus Dominus a mortuis resurgens desolatæ suæ familiæ, in domo una inter Judæos maris instar frementes et sævientes, quasi in navicula conclusæ, quando eis apparens, hanc salutationem attulit: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* Hoc enim verbo audito gavisissimi sunt discipuli, ait S. Jo. c. XX. et adeo quidem, ut præ gaudio vix capere se ipsos et credere tam optatum nuntium possent. Nec mirum, quia verba hæc quasi olivæ ramus

erant ore Christi allatus, pacem restitutam et persecutionis inundationem depressam, amantissimum quoque magistrum in summa gloria exaltatum, ac sibi restitutum, jamque in pace, sinceritate, mansuetudine adventantem nuntians. Cæterum vox illa tria in se continet præclara documenta Christiani hominis decentissima ornamenta, quæ hic exponemus.

I. Primum est, pacis amor et studium, indicatum illo verbo: *Pax vobis.* Hanc pacem attulit nobis ingrediens in hunc mundum sub Cæsare Augusto natus: quo tempore pax fuit, in universo orbe, quod non legitur factum usque ad id tempus. Idcirco angeli ad pastores: *Et in terra pax hominibus.* Eandem reliquit nobis velut in testamento pergens ad mortem, post ultimam cœnam: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Denique resurgens a morte eandem iterum commendat, ut in hodierno evangelio et quidem sæpius. Quis igitur non videt, quanto jure Christiani obligentur ad sectandam pacem, quam commendavit eis Christus nascentis, moriens et resurgens? Ad eliminandam quoque omnem inimicitiam et discordiam: solent enim filii diligenter observare parentum monita, præsertim ultima, sæpius et serio inculcata. Et quidem primi Christiani mandatum hoc parentis nostri diligenter observabant: osculum pacis et foris et in templo sibi invicem dabant dicendo: *Pax tecum:* (unde II. Cor. XIII. ait S. Paulus: *Salutate invicem in osculo sancto*) fratres et sorores se mutuo appellabant; lites et controversias pacifice primo inter se componebant, nec ad tribunalia se trahebant; unde Paulus, I. Cor. VI. contra venientes arguit: *Frater cum fratre contendit; et hoc apud infideles;* deinde presbyteris et episcopis componendas relinquebant; donec crescente fidelium numero, decrescente charitate, sæculares judices ad hoc constituti sunt: sane Christi discipuli tametsi ante mortem Christi quandoque inter se contenderint, postea tamen non contenderunt amplius; sed et inculcabant aliis pacem in domorum ingressu: *Pax huic domui,* in epistolis et salutationibus; uti solet S. Paulus, in omnibus epistolis suis, præmittens: *Gratia vobis et pax a Deo Patre, etc.* excepta ea, quæ est ad Hebræos. Nec apparet, quid melius et salubrius alicui civitati seu communitati optari possit, nisi pax; sine qua nulla diu stare civitas potest, sicut nec ædificium sine vinculis et compagibus. Viderunt hoc et gentiles, e quibus unus dicebat Scipio, inquit S. August. lib. I. de civit. Dei, c. XII. « Ut in fidibus, tibiis, atque cantu in ipso ac voce concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum

aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillarum vocum moderamine, concors tamen efficitur et congruens: sic ex summis, mediis et infimis interjectis ordinibus ut sonis, moderata ratione civitatem consensu dissimillarum concinere, et quæ harmonia a musicis æcitur in cantu, eam esse in civitate concordiam. » Certe si hic in templo audiatur vel una alterave fistula dissona in organo, aut mox in concentu, omnium aures affliguntur, et pruriunt quamprimum ad exeundum pedes: pari modo in civitate, ubi pax exulat, et discordia regnat, molesstissimum est hæere. Hanc ob causam *mos veterum fuit*, inquit S. Gregor. M. lib. XIX. moral. c. XIII. *ut seniores in porta consisterent, et causas introeuntium judicarent, quatenus tanto esset pacificus urbis populus, quanto ad hanc discordes ingredi non liceret.* Felix illa civitas, quæ tales habet seniores et cives. Certe Dominus Matth. V. *beatos* prædicat pacificos, et *filios Dei* nominat; qui nimirum pacem facere et conciliare dissidentes student. Et cur idem Dominus, putatis, tunicam suam inconsutilem scindi a militibus noluit, nec crura sibi frangi permisit; nisi ut indicaret nobis, quod unitatem corporis et vestis suæ Ecclesiæ salvam et integram esse cupiat? Eam rationem reddit S. August. super Ps. XXXIII. « Venit persecutor, inquit, et non fregit crura Christi: venit Donatus et dirupit Ecclesiam Christi. Integrum corpus in cruce inter manus persecutorum est, et inter manus Christianorum non est integrum corpus Ecclesiæ. » In hunc finem instituuntur fraternitates admodum laudabiles, quarum scopus est, inimicos conciliare. Quæ utinam passim excitarentur! Fœda et deformis est ea civitas, quæ instar laceratæ vestis in factiones et discordias divulsa et distracta est.

II. Sinceritas, indicata voce Christi: *Ego sum*, quasi dicat: Nolite diffidere: ego sum magister vester, ille idem, qui ante triduum vobiscum fui, cœnam vobis dedi et pedes abluvi, etc. non sum spiritus, non phantasma, non fictitius homo aut spectrum. Cumque adhuc hæsitarent, addit: *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum.* Alterum est hoc boni Christiani symbolum et ornamentum, ut se alium non fingat, nec se abneget esse, quod est; sed ubicumque versetur audeat dicere: *Ego sum.* Hanc virtutem commendavit Christus suis, quando dixit: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut colubæ,* Matt. X. Columbæ enim et felle et dolo carent. Eandem sinceritatem, ejusque sororem, veritatem, commendat nobis apostolus, I. Cor. V. ex paschali agno nostro Christo: *Pascha nos-*

trum immolatus est Christus, itaque epulemur, non in fermento veteri neque in fermento malitiæ et nequitia; sed in azymis sinceritatis et veritatis. Notum est Judæos comedisse agnum paschalem cum panibus azymis, non fermentatis, ipsos vero azymos panes comedisse in paschate per septem dies. Illis figuræ datæ sunt; nobis Christianis veritas servata est per figuras illorum significata. Panes azymi sunt homines puri, veraces, sinceri et simplices, nullo dolo mixti; fermentati sunt dolosi, fraudulentis, mendaces, duplices. Quia igitur pascha nostrum Christus est, verus nimirum agnus paschalis, pro nobis immolatus, quo jam vescimur et fruimur; idcirco oportet nos Christianos agere festum spirituale azymorum per hebdomadam, h. e. per decursum vitæ nostræ; ita ut simus azymi seu pueri, sinceri ac veraces, carentes omni fermento nequitia seu versutia (ut vertit Datablus); nequam enim est, qui cum dolo et fraude male agit. Tales nisi simus, pascha verum non manducamus, et frustra pro nobis pascha immolatum est. Agnus paschalis debebat esse sine macula, h. e. sine scabie, deformitate, defectu, Exod. XII. Quales etiam decet esse Christianos, puros et sine macula, sine fraude et mendacio: uti fuerunt certe primi Christiani, ut patet ex S. Petro, qui eorum mentem appellat sinceram, II. Pet. III. *Vestram excito in commonitione sinceram mentem*, S. Chrysostomus, hom. VII. in Acta apostolorum, ait eos propter morum candorem fuisse acceptos apud gentiles. S. Augustinus martyr antiquissimus scribit in apologia II. Christianos maluisse mori, quam vel semel mentiri. Vigeat ea sinceritas adhuc circa annum Domini 1100. tempore S. Anselmi episcopi Cantuar. qui putabat Christianum mentiri et fallere non posse; unde famulis suis omnia sua credebat, ut in ejus vita. Durabat et ulterius. Petrus enim abbas Claravallensis, monoculus, cum ob quædam bona, litem ei movisset nobilis quidam, ipsum cum fratre simplice convenit, rem compositurus, sicque allocutus est: « Homo Christianus es, si dixeris in verbo veritatis, quod bona ista pro quibus contentio est, tua esse debeant, bene sufficet mihi testimonium tuum. Ille magis curans de bonis obtinendis, quam de verbo veritatis respondit in veritate dico, quod mea sint hæc bona. Ad quod abbas: Sint ergo tua tibi: ego de cætero non repetam illa. Sicque reversus est ad Claramvallem. Miles autem ad uxorem suam quasi victor rediens, cum ei per ordinem recitasset, quid abbas dixisset, vel quid ipse egisset, illa territa verba tam pura, tamque simplicia respondit: Dolose

egisti contra abbatem sanctum, ultio divina nos puniet, nisi monasterio bona sua restituas, consortio meo carebis. Territus ille ad Claramvallem venit, bonis ultro renuntiavit, de indebita vexatione s. abbatis veniam postulavit. » Refert Cæsarius, lib. VI. hist. c. XI. Duravit ad annum Dom. 1400. et amplius. Etenim circa ea tempora, cum Carolus VI. Franciæ rex bello Britannico contra Henricum IV. Angliæ regem infeliciter gesto pene prostratus, misisset legatos ad Alphonsum Aragoniæ regem Valentiaë degentem, rogans ne, dum ipse bello Britannico implicitus esset, contra se bellum aliquod suscitaret ob suam in Occitanam partem, Galliaë Narbonensis, pretensionem; en tibi quod responsum tulit? « Etsi certo scio, inquit, plurimas Narbonensis Galliaë civitates ad Aragoniæ regnum pertinere, nihilominus hoc tempore, quo illum intelligo bello superatum et a Britannis prostratum esse, nequaquam me arma contra profligatum regem moturum esse affirmo. » Refert Panormitanus Alphonso familiarissimus, in rebus ejus gestis, l. II. c. I. Quantus hic candor ac humanitas? Sive Caroli tam candidè fatentis suam impotentiam; sive Alphonso tam benevole respondentis ac nolentis victum provocare, naufragum submergere, idque hosti denunciare? Est autem hæc sinceritas communitati pernecessaria. Quemadmodum enim corpus hominis subsistere non posset, si membra se invicem deciperent: ita neque civitas, si cives inter se fraudulenter et dolose agant, adeoque candorem hunc exterminent. Si mentiretur oculus ori dicens lapillos esse saccharum, cieutam esse lectucam, serpentem esse anguillam, et piscem bonum, nonne perderet hominem? Vel si os in quadragesima vellet persuadere oculis, caput vituli esse caput piscis: nonne eos seduceret? Unde apost. ad Ep. IV. *Deponentes omne mendacium* (non oris tantum, sed et operis; simulationem, dolum, hypocrisin, fictionem) *loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo; quoniam sumus invicem membra*. Dicite mihi, quid turbavit progressum structuræ turris Babel, nisi confusio, et quasi mendacium ac deceptio linguarum; dum uno petente lateres alter præbuit cæmentum: hoc petente trullam, alter præbuit sportam, etc. (ut pulchre describit Marius Victor, lib. XXX. in Gen.) quia se mutuo non intelligebant? Idem eveniet civitati et cuivis communitati, si eliminata sinceritate, fraudibus et dolis, fictione et hypocrisi rem inter se agere velint.

III. Mansuetudo, quam significat verbum Christi *nolite timere*, quasi dicat: In spiritu lenitatis et mansuetudinis, velut amicus vester venio

ad vos, non ut redarguam vos ob desertionem mei, vel Petrum ob negationem, sed ut gratiam et lætissimum resurrectionis meæ et vestræ nuntium vobis afferam. Hanc etiam virtutem serio commendavit Christus suis discipulis aliisque fidelibus, dum dixit: *Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos*, Luc. X. simulque præcepit eis, ne virgam quidem in itinere gestarent, qua nimirum vel se defenderent, vel alios offenderent, Matt. X. Oves solæ ex brutis animantibus inermes sunt, non feriunt, non mordent, non laniant, non jaculantur: sic et homo sine armis creatus est, ut esset mitis. Denique ipse Dominus se in exemplum proposuit: *Discite a me, quia mitis sum*, Matt. XI. Multæ oves intrant in unam etiam angustam caulam, uti dicimus proverbio, quia mitia sunt animalia; cum contra pauci equi vix contineri in peramplo stabulo queant, singulique separari, alligari, et repagulis claudi debeant, quia natura feroces, ideoque insociabiles sunt. Duos tantum filios habuit Abraham, Ismaelem et Isaacum, eos tamen in domo sua, spatiosa licet, continere in pace non potuit, sed Ismaelem ejicere debuit, quia erat *ferus homo, manus ejus contra omnes, et manus omnium contra eum*. Similiter et Isaac non nisi duos habuit filios, Jacob et Esau, neque tamen illos in sua domo potuit simul ferre: sed Jacobum amandare a se in Mesopotamiam coactus est, quia Esau homo asper et efferatus erat, insidias fratri struens: quod vel ipsa corporis habitudo demonstrabat: *Erat enim totus in mortem pelis hispidus et pilosus, Jacob autem levis*, Gen. XXVII. propter hanc morum asperitatem reprobatus est, quemadmodum et Ismael: Isaac vero et Jacob a Deo benedicti. Quod etiam promittit S. Petrus, epist. I. c. III. *mansuetis: Non reddentes malum pro malo, sed contra benedicientes, quia in hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis*. Benedictionem videlicet temporariam ab hominibus, et æternam a Deo. Solent enim mansueti diligere imprimis ab hominibus, teste Ecclesiaste, c. III. *Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super gloriam hominum diligeris*. Patet in Davide, qui « Mansuetus in imperio, patiens in convicio, inquit S. Ambrosius, l. II. offic. c. VII. ferre magis promptus, quam referre injurias; ideo tam charus omnibus ne juvenis ad regnum etiam invitatus peteretur, et resistens cogeretur, senex ne prælio interesset, a suis rogaretur, quod mallent pro ipso omnes periclitari, quam illum pro omnibus. Itaque parentes eum filiis, filii parentibus præferebant. » Sic Ambros. Eamdem ob virtutem ob virtutem diligebatur rex Aragonum Alphonsus, de quo supra diximus; quod mansuetudine sua

quasvis etiam injurias facile toleraret. Cum quidam in itinere regem præcederet, ramusculisque arboris ab eo apprehensus in regis oculum, qui proxime sequebatur, forte dimissus incidisset, livescente et tumescente oculo, condolentibus amicis, regem dixisse aiunt: *Nihil se profecto dolere, nisi percussoris ipsius dolorem ac metum*, Panorm. lib. IV. c. XII. gest. Quid humanius ac mitius tanto rege? Cajetam dum obsideret, ejectam a civibus imbellem plebem excepit, et cibis refocillavit, pluris eorum se vitam æstimare asserens quam centum Cajetas. Quare urbem postea sine vi et armis in ditionem suam redegit, auct. eod. lib. c. XXVI. Nihil huic cedit Henricus II. imp. sanctus, de quo Glaber apud Baronium, anno 1047. n. IX. ita scribit: « Contigit ut abbas cujusdam monasterii, honestæ possessionis equum offerret imperatori: fuerat autem, ignorante abbate, militi clam sublatus, et eidem abbati pretio venundatus. Imperator donum comiter suscipiens, suimet vectioni jumentum mancipavit. Cumque eidem equo insidens, iter ageret, occurrit miles, a quo subreptus fuerat. Hic impudenter aggrediens imperatorem: « Tu rex, inquit, qui censuræ debes tenere totius justitiam, equum modo fraudulenter arreptum cerneris possidere. Cui rex: Si tuus est equus, ut ais, accipe illum cum sessore, et educ tecum quousque tibi fiat satis. Hic miles hæere, putans se illudi. At rex compulit eum, ut manu injecta, duceret utrumque in suum dominium. O mite invicti principis ingenium! » Cui facta, omni laude digno, simillimum edidit Theophilus imp. Græcus, Michaelis Balbi successor, qui de equo, quem vidua quædam mariti sui in bello cæsi fuisse clamabat et probabat, descendit, et equum alium, quem forte nactus est, conscendit, ex quo institutam in posterum prosecutionem equorum, qui manu ducerentur, ut si quid simile forsitan accideret parati adessent imperatori equi, refert Curepolata, de official. palatii, fol. LVI.

Tria hæc ornamenta, docet Christianos etiam columba. Est enim avis pacis amantissima, simplex et sine dolo, mitis quoque et injuriarum patiens, cum ei pulli toties abripiuntur, nequaquam resistit. Eorundem doctor insignis fuit ipse, qui hanc doctrinam attulit, Christus Dominus. Quid enim illo pacatius? *Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem ejus: arundinem quassatam non confringet, et unum fumigans non extinguet*, ait Matth. c. XII. ex Isa. Quid illo sincerius ac veracius? *Ego sum, dixit cohorti, cum ad mortem quæreretur, non fugit, non negavit, qui peccatum non fecit, nec in-*

ventus est dolus in ore ejus, I. Petr. II. Quid eo mansuetius? *Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injuste*. Ib.

CONCIO III.

FIGURÆ RESURRECTIONIS DOMINICÆ.

I. Adam e sopore suscitatus. — II. Noe ex vino ebrius evigilans. — III. Joseph e carcere eductus, exaltatus. — IV. Jonas e ceto evomitus. — V. Job post afflictiones sibi restitutus majori felicitate. — VI. Daniel e lacu leonum magna gloria ereptus. — VII. Securis demersa iterum e fundo enatans. — VIII. Templum prius destructum, restauratum in meliorem speciem. — IX. Vas figuli dissolutum in pulchriorem formam reparatum. — X. Granum frumenti in terra mortuum reviviscens.

THEMA.

Sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis tertia die. Luc. XXIV.

Variis quidem prophetarum oraculis prædixit olim Deus Hebræis Filii sui redemptoris nostri resurrectionem ex mortuis: variis etiam figuris explicavit ac declinavit, velut rem humano intellectui ad credendum admodum difficilem; verum nihilominus pauci admodum fuerunt, qui mysterium hoc caperent, et sub cortice literæ nucleum veritatis, thesaurum, inquam, resurrectionis absconditum, deprehenderent. Ipsi etiam Christi discipuli, quando eis magister de sua resurrectione aliquid dicebat, id nequaquam intellexerunt. Jacebat igitur lapis, et quidem grandis valde supra cor eorum, adhuc obscuratum et durum ad credendum: premebatque lapis, iste et claudebat non tam Christi sepulcrum, quam illorum animos, ita ut sepulto Domino de ejus resurrectione exiguum spem haberent. Verum ecce devotæ illæ mulieres, dum adeunt sepulcrum, respicientes vident revolutum lapidem ab ostio monumenti; audiuntque Dominum nostrum surrexisse redivivum et idipsum credunt angelo asserenti et sepulcrum vacuum sibi demonstranti. Ex hoc ergo jam patuerunt oracula prophetarum figuræ reserata, prædictiones Christi de sua resurrectione confirmatæ sunt; quæ omnia a Christo explanata fuisse discipulis hodiernum indicat evangelium. Nos jam omissis aliis figuras hujus mysterii expendemus.

I. Hodie Adam e sopore suo extatico, in quo ex ejus latere formata fuit Eva, suscitatus vidit Evam sponsam suam, cujus aspectu recreatus dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*. Hæc vocabitur

virago, quoniam de viro sumpta est, Gen. II. q. d. apage animantia illa prius ad me adducta; non placent, non congruunt mihi, quia mihi dissimilia, prona in terram capita habent, et ratione carent: unde nec merentur nomine meo appellari. Mulier hæc placet, illa mihi similis est, unde ex meo nomine eam compellabo, ex viro *viram* seu *viraginem*. Adam noster secundus, primi restaurator Christus est. Huic immisit Deus Pater soporem (Hebr. *ardemæ*, h. e. gravem et profundum somnum) quando eum mori voluit: formavit ex ejus latere Evam, quando perfosso ejus latere ex profuente sanguine et aqua formavit Ecclesiam, teste August. sent. III. XXVIII. « Dormiente Adam fit Eva de latere: mortuo Christo lancea perforatur latus, et superfluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia, » inquit. Evigilavit Adam noster, quando a mortuis resurrexit. Vidit Evam sponsam suam, quando revisit Ecclesiam suam, in discipulis et sanctis fidelibus constitutam: approbavit et quodammodo dixit: *Hoc nunc os ex ossibus meis*, quando humanissime eos salutavit, repudiatis impiis Judæis, velut brutis animantibus, sibi dissimilibus, nulla ratione utentibus, dum nulli eorum se visendum exhibuit. Appellavit Ecclesiam ex nomine suo *viraginem* quando dixit Magdalenæ: *Vade ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum*, et postea quando ex nomine suo (Christi) appellari eos voluit Christianos. *Præfigurata est*, ait S. Augustinus, serm. CL. de temp. in plotoplasto Adam Christi resurrectio, quia sicut ille post soporem surgens Evam de latere suo fabricatam agnovit: ita Christus a morte resurgens ex vulnere suo ædificavit Ecclesiam.

II. Hodie Noe ex vino, quo inebriatus et nudatus fuit, evigilans maledixit Cham irrisori suo, benedixit vero Sem et Japhet, qui pudorem ejus operuerunt, Gen. IX. « Noe, inquit Augustinus, ser. CLIII. de temp. qui in opere arcæ et ipse suo nomine requiem Dei in sanctis significat, in eo vel maxime redemptoris nostri figuram representat, quod cum esset agricola, vineam plantavit et vini poculo (Ecclesiæ scilicet amore, uti ait idem ser. CCL.) inebriatus, in suo tabernaculo est denudatus. Quæ res ad illum proprie spectat, qui calice passionis adeo factus est ebrius, ut ipso tegmine corporis nudaretur ad tempus et statim in resurrectione evigilans illis daret benedictionem, qui in mysterio venerantur ejus passionem, irrisoribus autem suis dignam maledictionem. » Hinc resurgente Domino angelus custos sepulcri prostravit et quasi exanimavit: sanctas autem mulieres, quæ Christum venerabundæ quærebant, animavit et solatus

est: *Nolite timere etc.* Præterea hostes suos, impios Judæos, sua in resurrectione, terrore et maledictione: discipulos vero suos gaudio replevit et benedictione.

III. Hodie Joseph e squalore carceris post triennalem captivitatem eductus et impexo capillitio suo detonsus, mutataque veste squalida in decoram, in Pharaonis aulam adductus, currui ejus impositus est, ut ab omnibus adoratus, toti regno suo dominaretur, indito ei nomine *Salvatoris mundi*, Gen. XLI. Joseph Christi typus resurgentis fuit. Ergo Christus Dominus projectus et ipse innocens in lacum et carcerem sepulcri, tertio die, detonsa illa mortalitatis coma, et squalida lacerati et ærumnos corporis veste in gloriosam et immortalem commutata, productus et in currum gloriæ evehctus super omnem creaturam constitutus est iudex vivorum et mortuorum. Suscepit æternus Pater Filium superatis mortis doloribus resurgentem, velut Josephum ex ergastulo eductum, et dedit ei omnem potestatem in cælo et in terra, nomen etiam supra omne nomen ut proprie et verissime diceretur *Salvator mundi*: et quidem universi, non solum Ægypti aut unius dumtaxat regni.

IV. Hodie Jonas propheta a ceto deglutitus rursus evomitus est in aridam. Patet hoc ex testimonio Christi, Matth. XII. quo se in corde terræ seu in limbo et sepulcro ad triduum mansurum indeque postea resurrecturum dixit. Jonas filius *Amathi*, hoc est, *veritatis*, Christus est Filius Dei, qui est veritas. Ejectus est a nautis Christus in tempestuosum mare, quando a Judæis traditus ad illudendum et flagellandum gentibus, deinde ejectus est Jerosolyma in infamem montem Calvarie ad crucem, vario tormentorum genere, in eum desævientem. Devoratus est a ceto, quando ejus anima mortis faucibus a corpore avulsa, suscepta est in limbo; corpus vere positum in sepulcro. Evomitus est a ceto Jonas, velut cibus indigestus, arcans atque impediens respirationem piscis; quando Christus inferni, a quo teneri non poterat, despoliator ac domitor juxta, Ose. XIII. *Ero morsus tuus inferne*, a mortuis resurrexit. Porrexit inde Jonas in Niniven et convertit civitatem impiam, quando Christus missis suis apostolis convertit mundum gentilem. Fusius hunc typum Christi explicat S. August. lib. IV. de symb. ad catechum. c. VI.

V. Hodie Job post tot acceptas clades, post tot vulnera a Satana sibi inflata, post derisiones et contradictiones ab amicis inflatas, sibi restitutus, duplo majores acquisivit divitias, quam prius habuerit: benedicente Deo novissimis ejus magis quam principio. Christus enim per ipsum

præfiguratus, ubi a suis repudiatus et despectus, gentibus et ipsi quoque tenebrarum potestati traditus fuit; post vestium despoliationem et ignominiam, post omnis generis dolores et vulnera, quibus toto corpore concisus fuit; rediit ad gloriam et splendorem duplo majorem quam antea habuerit, corpore glorioso, cum ingenti præda, quam abstulit e limbo. Audiamus Rupert. lib. II. de operibus Spiritus s. c. IX. « Quid enim, inquit, noster iste Job, quid, inquam, Deus Christus, quid homo Christus habuerat? Diligenter utrobique possessionis ejus apprehendamus, quas ante passionem suam habuerat, et non dubium erit, quin cuncta receperit duplicia. Quid Deus Christus habuerat? Novem ordines angelorum, etc. Sed ecce quia semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, et hæc passus est, quæ prædicta sunt, Deus et rex angelorum pariter et hominum, ergo duplicia Deo Christo reddita sunt. » Sic ille.

VI. Hodie Daniel a lacu leonum, in quem delatione invidorum a Dario, ad hoc coacto, innocens demissus: ubi et illæsus et a leonibus intactus fuit, iterum ereptus est incolomis, indeque rex Darius mire gavisus. Christus enim, quem prælusit Daniel, primo, ab invidis Judæis delatus ad Pilatum, damnatusque ad mortem ab eo, ad hoc impulso, in sepulcrum demissus, nihil ibi ab illo verme aut putredine passus est: sed inde redivivus rediit ad superiores, suaque resurrectione totum mundum recreavit et ad cognitionem Dei veri adduxit. Vicissim uti accusatores Danielis in lacum missi, mox a leonibus discerpti sunt: ita perfidi et increduli Judæi, traditores Christi, a Tito imperatore eversi. His de causis antiqui Christiani solebant pro simbolo resurrectionis Danielem in lacu stantem inter leones illæsum vel inde extractum insculpere sepulcri suis, teste Baron. in martyrol. die 24 julii.

VII. Hodie ferrum illud securis, qui ligna cædere parabat discipulis Elisæi de manubrio in fundum Jordanis delapsus, ad vocem Elisæi iterum enavit et manubrio se aptavit; uti legitur IV. Reg. VI. Cecidit ferrum de manubrio in fundum aquæ, quando in morte Christi soluta unione corporis et animæ, Christi anima in limbum descendit, et illius portas perfregit, ipsumque prorsus excidit, et inferos extraxit, corpore interim in sepulcro manente. Enavit ferrum ad manubrium in resurrectione Domini, quando ejus anima reversa de limbo se rursus univit corpori. Non igitur frustra gestum illud ad speciem leviseulum Scripture sacræ mandatam est, quia maximæ rei arcanum est.

VIII. Hodie templum illud reædificatum est, de quo dixit Dominus: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud*, Joan. II. Corpus, inquam, Christi, de quo loquitur ibi, et quod hodie reparavit, quando redivivum exhibuit, id quod pulchre expressit cum dixit: *Excitando illud*, quasi dicat, e somno mortis triduo excitabo. Porro quod de templo illo prædixit Aggæus, cap. II. his verbis: *Major erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ; non convenit templo illi Jerosolymitano quod Zorobabel reparavit, et postea Herodes ex parte instauravit (nisi ab extrinseco, qua Christus in eo præsentatus fuit et docuit:) quare de templo mystico, Christi nimirum corpore, intelligendum videtur, quo sensu est verissimum: major enim fuit gloria corporis Christi posterioris a morte resuscitati, quam fuerit prioris, quod habuit ante mortem. Hoc enim passioni et morti erat obnoxium, illud vero gloriosum, immortale, impassibile, agile, subtile, fulgidum.*

IX. Hodie vas illud figuli luteum, ostensum Jeremiæ, et in rota dissolutum, iterum a figulo reparatum, et vas alterum factum est, sicut ipsi placuit, Jer. XVIII. Vas illud luteum corpus Christi mortale designavit, quod in utero virginis a Spiritu sancto efformatum, postea ab impiis Judæis dissolutum et in cruce ab anima separatum est. Verum *Numquid sicut figulus iste*, ait Dominus, *non potero vobis facere?* Fecit ergo ex corpore illo mortali, corpus alterum immortale, quod frangi jam non potest. Ita intellexit schema illud Rufinus, in expositione symboli (inter opera Cypriani) ubi scribit: « Hic enim erat figulus, qui ut Jeremias docet propheta, vas de manu sua collapsum et confractum rursus elevavit manibus suis et reformavit, sicut placuit in conspectu ejus. Placuit autem ita, ut corpus quod mortale et corruptibile suscepit, de sepulcri petra levatum, et immortale atque incorruptibile effectum, jam non in terrenis, sed in cælestibus et in Patris dextra collocaret. »

X. Hodie granum frumenti projectum in terram, et in ea mortuum repullulavit ac revixit multo cum fœnore, prout dixit Dominus, Joan. XII. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* Ubi Augustinus, tr. LI. in Joan. « Seipsum, inquit, Jesus dicebat: ipse erat granum mortificandum et multiplicandum: mortificandum in infidelitate Judæorum, multiplicandum in fide omnium populorum. » Projecerunt Judæi Christum in crucem, mox a cruce sepeliendum et terra obruendum, ne ejus nomen memoraretur amplius. Sed quid effecerunt? Gra-